

nostrum et Bani vestri, quo nos iusserimus, et quo necessitas requisierit, pro Regni defensione proficiscetur. Item conclusum est: quod unusquisque vestrum de singulis Jobagionibus vestris, pro tempore ad id per vos deputando, teneatur pecunias exercitiales in medium communitatis et ad manus hominum vestrorum, per vos ad id deputandorum, assignare, et nec eas quisquam audeat propria auctoritate pro se usurpare, quod si tales, sic vt prefertur, pecunias eorum in medium vestri assignantes ad exercituandum idonei, et vtilis vobis visi fuerint, et pro huiusmodi pecuniis soli servire, et homines statuere et tenere voluerint, dummodo vtilis sint, talibus rursus pecunias ipsorum restitui, et vltro hoc etiam eis plus pecuniarum, provt ad bellum paraciores fuerint, dari debeantur. Domini vero Prelati et Barones Banderiati, siue non Banderiati, in illo Regno nostro bona habentes, teneantur Jobagiones ipsorum vobis connumerari permittere, pecunias tamen exercitiales iuxta huiusmodi connumeracionem possint libere pro se recipere et tollere. Ita videlicet: quod gentes eorum semper in illo Regno nostro paratas teneant, et ad requisicionem Capitanei vestri per vos, modo quo supra, eligendi, tociens, quociens opus fuerit, pro defensione Regni sine aliquali difficultate et renitencia, aut quouis quesito colore mittere debeant et teneantur. Si que vero necessitas, quod Deus auertat, vobis et illi Regno nostro in posterum ex parte Thurcorum vel etiam aliarum Nacionum eveniret, et huiusmodi gentibus vestris ad defendendum se contra hostes pares esse non possetis; extunc et in eo casu omnes simul per singula capita insurgere et hostium conatibus resistere teneamini, decernentes huiusmodi modum exercituacionis iuxta prescriptos articulos ab omnibus, tam scilicet Nobilibus, quam etiam Prelatis et Baronibus cuiusvis status et condicionis fuerint, in predicto Regno nostro bona habentibus, firmiter semper debere observari. Immo decrevimus harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum Bude feria sexta proxima ante festum sancte et individue Trinitatis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono.

*(Sigillum Regium appressum.)*

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 89.